

13

Q. D. B. V.

*De*

# MUNDI ANIMA,

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

*quam,*

MODERATORE

L. ADAMO RECHENBERG,

Græc. Liter. Prof. Ordin. Maj. Principp.

Collegii Collegiati & h. t. Præposito,

in

ACADEMIA LIPSIENSI

H. L. Q. C.

D.VII. Decembr. M. DC. LXXVIII.

P. P.

JOH. DAVID GÜTTNER / Phil. Bacc.

& Medicinæ Cultor,

A. & R.

---

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI



MUNDO ANIMA

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

MODERATORE

J. ADAMO REICHERBERG

Grac. Licet. Prof. Ordin. Maj. Princip.  
Collegii Collegio & a. Proposito

ACADEMIA LIPSIS

M. D. C. C. C.

D. VII. Decembris. M. DC. LXXXIII.

P. P.


JOH. DAVID GÜNTHER, Phil. Doct.  
& Medicinæ Cultor

A. & K.

LIPSIÆ

LITÆUS CHR. LEHMANI SCHELVINI





A. J.

**L**issus à Parente meo suavissimo, specimen studiorum exhibere Patronis, quos post Deum O. M. venerari fas est, non fuit argumentum, quod mihi arrideret magis, ac illud, quod dissertationis nostræ titulus significat. Nam licet alii jam ante nos, de eo egisse videantur; attamen si diversas illorum sententias, & opiniones etiam consideres absurdas, adparet, nobis quoque relictum esse, quod addamus. Quamquam ea ingenii fiducia mihi non est, ut ea promittere auserim, quæ singularia sint, aliisque in mentem venire non potuerint. Juvenis enim sum, à quo exquisita ad eò rei tractatio expectari nequit. Satis fuerit, si conatum in materia non injucunda, aut nimis protrita ostendere, simulque parere aliorum monitis laborem. Faxit Deus, qui imbecillos juvat, ut gloriæ suæ hic meus inserviat conatus!

A 2

CAPUT

CAPUT I.  
DE  
AUTORIBUS, QUI  
ANIMÆ MUNDI  
Existentiam statuunt.

Brev.

§. (1. Mundi descriptio. (2. Ejus Synonyma. (3. Animæ M. Synon. (4. Scripto-  
rum de A. M. distinctio in Veteres & Recentiores. (5. Inter Vet. Pla-  
to & Platonici. (6. Aristoteles ab his nonnihil discrepat. (7. Notatur Da-  
naus. (8. Stoicorum assertio. (9. Uberior hujus declaratio. (10. Diversi-  
tas Sententiæ Stoicor. à Platone. (11. Chaldæorum de M. A. opi-  
nio. (12. Recentiorum, Scriptorum diversitas. (13. Eorundem  
recensio.

§. 1.

**N**on puto necessum esse sub initium tractationis meæ de vo-  
cabulis, quæ argumentum hocce nostrum indigitatur, multa  
præfari; cum nota eorū acceptio in vulgus sit. *Mundus* enim  
hic intelligitur *sensibilis*, qui ab *autore libri de Mundo* c. 2. p. m. 1203.  
describitur, quod sit *σύστημα ἐξ ἄραν ἡγῆς καὶ ἐν τέτοις ὡς ἐμεχομε-  
νων φύσεων*. Quam definitionem *Philo*, *ἠὲ Αὐθαρσίας νόσμος* fol. 727.  
eodem sensu, verbis paulkulum mutatis, repetit: (νόσμος) ὅς ἐξ ἄρα-  
νῆ καὶ γῆς καὶ τῶν ἐν αὐτοῖς ὧν συνέστηκε. *Gregorius* quidem *Naxian-  
zenus* in *Definit. vers. 2.* laxiorem paullo definitionem exhibet: νό-  
σμος δὲ ῥευσῶν (codex Augustanus *λευσῶν*, *visibilium* habet,) καὶ  
νοημένων δέσσις. quæ tam mundum *intelligibilem*, quam *sensibilem* in-  
nuere videtur. Sed quæ *Orat. 2 in Pasch.* apud eundem *Grego-  
rium* legitur, magis videtur convenire cum illa modò allegata, quæ  
*mundus* dicitur *compages è cælo terraq; coagmentata, atque ex iis naturis,  
quæ iis continentur.* confer *Hæschelii Not. in ὄργε παχυμερ. Naxianz.  
p. m. 10.*

§. 2.

Hic *Mundus* quomodo ab *intelligibili* mundo Platonico, ex  
ideis constante, distingvatur, exponit *Philo* *libr. de somniis* fol. 460.  
Dicitur aliàs τὸ πᾶν, τὸ ὅλον, *universum, rerum natura, orbis, αἰσῶν.* De  
qui-



quibus appellationibus legipotest iudicium *Danei l. 1. Phys. Christ. c. 9.*  
Nobis sufficit, significationem huc pertinentem attulisse.

§. 3.

*Anima*, quæ illi inesse fingitur, aliàs appellatur *Anima Munda-*  
*na*, *Spiritus Mundi*, τὸ ἡγεμονικὸν τῆς κόσμου, Νῆξ, & quæ sunt alia no-  
mina, quæ passim apud scriptores infra nominandos occurrunt.  
Quid illa sit, aut esse fingatur *capite II.* declarabitur. Nunc pergimus  
ad autores *Mundi Animam* asserentes.

§. 4.

Nempe possunt illi in duas *classes* commodè, temporis ratione  
habitâ, describi. Nam & olim fuerunt inter Philosophos, qui *Pytha-*  
*goram*, aut *Platonem* secuti de hac *Anima* varias foverunt opinio-  
nes; & fuerunt nostro ævo, qui errorem resuscitantes ex jucundis  
antiquorum fabulis, nescio quam gratiam novitatis aucupari stu-  
duerint, in subsidium assumptâ etiam sacrarum literarum autorita-  
te. Nos illos ad *classem veterum*; hos ad *recentiorum* referemus.

§. 5.

Inter veteres sententiæ hujus patronos, post *Pythagoram* apud  
*Cicer. de N. D. libri. p. m. 277.* facilè ante signatus *Plato* est, qui in *Timæo*  
seu *de Natura libro*, passim hujus Spiritus mentionem injicit. Ita  
enim f. 1049. edit. *Francos. ann. 1602. Interprete Marsilio Ficino:*  
ψυχὴν δὲ εἰς τὸ μέσον αὐτῆς (κόσμου) θεῖς, διὰ παντός τε ἔτενε, καὶ ἐπι-  
ῆζω τὸ σῶμα αὐτῆς περιελάλυσε. *Animam autem in ejus (sc. mundi)*  
*medio collocavit, perq; totum tetendit, atque eâ corpus ipsum, etiam ex-*  
*trinsecus, circumtexit.* in *Tim. Locrus f. 1089.* ἐπέτησεν ὡν τὸν δεῖν κόσμον  
ἐξ ἀπάσης τῆς ὕλης, ὅρον αὐτὸν κατασκευάζας τὰς τῶ ὄντων φύσεις,  
διὰ τὸ πάντα τὰ δα. εἰ αὐτῶ περιέχεν, ἕνα, μονογενῆ, τέλειον, ἑμψυχον  
τε καὶ λογικόν. Hunc igitur mundum ex omni materia creavit *DEUS*,  
universiq; naturam terminum ipsum circumscriptis, atque definit: quod  
videlicet omnia alia in seipso complectatur, quippe quod unū suū unigeni-  
tum, perfectum, anima & ratione preditum: Et paullo post f. 1090.  
τὰν δὲ τῶ κόσμῳ ψυχὴν μεσόθεν ἐξ ἄψας ἐπάγαγεν ἔξω, περιελάλυσε  
αὐτὸ ὅλον αὐτῶ, περιελάλυσε αὐτῶν περιελάλυσε ἐκ τε τὰς ἀμερίτων μορ-  
φῶν, καὶ τὰς μερίτων εἰσίας. *Animam autem Mundi in ipsius medio*  
*indidit DEUS, & extra eduxit ipsumq; universum ipsâ contexit, certo*  
*quodam temperamento contentperatum ex forma nimirum individua,*

A 3

Ex

Ἔξ ex dividua essentia. Confer & Procli comment. in *Timeum*, nec non  
Marfilii Ficini compendium in eundem, cap. XXVI. Nemesius, Philo-  
sophus ἔπ̄ Episcopus doctissimus, (cujus opus integrum titulo tenus im-  
mutatum, & Philosophiæ elogio auctum, Gregorio accessit, & inter  
præfulis Nysseni scripta passim allegatum est,) hanc Platonis mentem  
fuisse clarius demonstrat in *περὶ Φύσεως ἀνθρώπου* libro, c. 2. p. m. 81.  
seqq. Cujus verba cum lucem huic materiæ non vulgarem affun-  
dant, transcribere non pigror: Πλάτων δὲ καὶ μίαν εἶναι καὶ πολλὰς  
τὰς ψυχὰς ἀποφαίνεται, μίαν μὲν γὰρ εἶναι τῆ παντὸς τὴν ψυχὴν, εἶναι  
δὲ καὶ ἄλλας τῶν κτ̄ μέρ̄, ὡς ἰδίαι μὲν τὸ πᾶν ἐν ψυχῶσιν ὑπὸ τῆς  
ἔπ̄ παντὸς Φυχῆς ἰδίαι δὲ πάλιν τὰς κτ̄ μέρ̄; ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐκάσθ  
ψυχῆς. λέγει γὰρ τὴν μὲν τῆ παντὸς διατετάσθαι ψυχὴν ἀπὸ ἑκέντρῃ  
τῆς γῆς ἐπὶ τὰ ἄνω τῆ ἔρανα. ἔπ̄ τοπικῶς αὐτὴν διατετάσθαι Φάσκειν,  
ἀλλὰ νοητῶς. Τάυτην δὲ τὴν ψυχὴν εἶναι τὴν περὶ γῆσαν σφαιροειδῆς  
τὸ πᾶν καὶ συνέχουσαν καὶ συσφίγγουσαν τὸ σωματοειδῆς τῆ κόσμου  
δεῖσθαι γὰρ τὰ σώματα τῆ συνεχοντῆ ἐν τοῖς προλαβοῦσιν ἐδείχθῃ  
ποιεῖν δὲ τοῦτο εἰδοποιὸν ψυχὴν. Plato ἔπ̄ unam ἔπ̄ multas esse animas  
affirmat. Unam ekim esse hujus universi animam, esse etiam alias rerum  
singularium, ut universum, universi anima separatim animatum sit:  
itemq̄, separatim res singule sua quæque anima sint prædite. Dicit enim  
universæ naturæ animam porrectam à centro orbis terræ, usque ad cæli  
summitatem: non equidem ut locum ista notet porrectio, sed extensionis  
quendam modum, quem mens ἔπ̄ ratio assequatur, atque hanc esse ani-  
mam, quæ in orbem rerum universitatem contorqueat, mundi q̄ corpus  
contineat atque constringat. Egere enim corpora vi aliqua, à quâ conti-  
neantur, idq̄, præstare Animam, quæ speciem efficit, supra ostensum est.  
Confirmat hoc Alcinous de Doctrina Platonis, c. XIV. p. m. 47. Per-  
spicuum est præterea, quod mundus anima simul ἔπ̄ mente ab ipso DEO  
donatus est. Nam quum optimum opus fore id vellet, merito ἔπ̄ anima-  
tum mundum ἔπ̄ intellectualem effecit.

§. 6.

De Platone igitur certum est, quod Animam mundo inesse tra-  
diderit. Sed an discipulus ipsius, Aristoteles, hac in parte à præce-  
ptore suo, ut alibi, dissenterit, quæri solet. Franciscus Patricius, ce-  
lebris in Romano Gymnasio professor, cum in opusculo quodam,  
cui nomen est, *Aristoteles Exotericus*, Philosophiam commendat,

Pla-

Platonicam, & ejus ab Aristotelicâ differentiam in certis sententiis adducit, num. XXVI. Aristotelem eo quoque rectius Platone sensisse, ait, quod, Deum non produxisse *Animam* illam *universi* cum Platone, sed cœlum tantum esse animatum, & astra docuisset. confer de var. *Aristot. Fortun. libr. Johannis de Launoy p. 91.* Scilicet ipse *Aristoteles* universo huic *Animam* nusquam aperte legitur tribuisse; fortè quia nulla rerum sub luna positarum providentiam credidit. Interim *lib. XII, c. 6. & 8. de prima philosophia*, cum de cœli motu philosophatur, eas illi attribuit partes, quæ corporum anima præditorum propriæ sunt; item motus differentias, quæ non nisi animalibus competunt. Quare *lib. II. de cœlo c. 2.* postquam explicasset *Ἐπεὶ οὖν τῆς κινήσεως*, subdit: *Ἡμῶν δ' ἐπεὶ οὐκ ἔστιν ἄλλο πρῶτον, ὅτι ἐν τοῖς ἔχουσιν ἀρχὴν κινήσεως αἱ τοιαῦτα δυνάμεις ἐνυπάρχουσιν, ὅ δ' ἔστιν ἡ ἐμψυχὴ καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχὴν.* h. e. cum autem à nobis antea definitum sit, tales potentias iis inesse, quæ principium motus habent, & cœlum sit animatum atq; principium habeat motus. conf. in h. l. *Comment. Jo. Ludov. Havenreuteri p. 180.* Ex quo liquet, Aristotelem cum Platone ex parte sentire, ex parte verò discrepare. Nam cum hic mundo Universo *Animam* quasi indat, & circumfusam esse velit, ab eâ cuncta & moveri & moveri putet; is eam in cœlo duntaxat collocat, quod hoc principium motus in se habeat. conf. *Sebast. Foxii Morzilli Hispalensis de Natur. Philos. seu de Platonis & Aristotelis consensione lib. II, c. 2. p. 112.*

§. 7.

Fallit ergò *Daneus Physic. Christ. part. 1. c. 14. p. 77.* & alii cum Aristotelem totius hujus mundi *Animam* statuisse tradunt. Certè nullus adferri poterit locus, quò id doceatur; nisi forte *cap. IV. libr. de mundo: λέγειται δὲ καὶ ἑτέρως πνεῦμα ἢ τὸ ἐν Φύσει, καὶ ζώον, ἢ διὰ πάντων διοίκου, ἐμψυχὴ καὶ γόνιμη ὄσια,* quod *cap. 5. p. m. 113.* appellatur *διὰ πάντων διοίκου δυνάμεις.* Verùm cum melior Eruditorum pars hunc librum Aristoteli abjudicet, frustra inde probatur, ipsum esse sententiæ Platonice patronum.

§. 8.

Præter Platonem & Sectatores ejus, eandem sententiam de *Mundi Anima* fovisse Stoicos apud eruditos, per est - notum. Ac ut loca à *Lipso & Thomasio nostro honoratissimo* jam diligenter annotata,

tata,

tata, heic, prætermittamus, observandum est, quod illorum sententia à Platone in diversum abeat. Ultraq; secta Spiritum Mundi agnoscit, sed in eo differunt, quod Stoici Animam Mundi DEum dixerint, qui sit mundo, quod anima aliàs corpori; εἰς ἅπαν ἅπασιν μέγθ' ἀδιήκον] ὁ τῆς Νῆ, κατὰ μέρος ἐφ' ἡμῶν τῆς ψυχῆς, de eo scribit Lærtius in Zen. p. 372.

§. 9.

Plutarchus de Placit. Philosoph. cap. VIII. Τις εἶναι ὁ θεός. fol. m. 624. Οἱ Στωικοὶ θεὸν διὰ δαίμονα πνεῦμα διήκον δι' ὅλην τὴν κόσμον. Stoici Deum pronuntiant esse Spiritum qui per totum peneiret mundum: & Democritus apud Plut. cit. loco vñ vocavit τὸν θεὸν ἐμπυροειδῆ τὴν τῆς κόσμου ψυχὴν. Clemens Alexandrinus Protropt. f. 33. Οὐδὲ μὲν διὰ τῆς Στοῆς παρελεύσομαι, διὰ πάσης ὕλης καὶ διὰ τῆς ἀτιμολογίας τοῦ θεοῦ διήκειν λέγον] ὁ. Lipsius clarè Stoicorum mentem à Platoniciis hac in parte diversam exhibet, Physiol. Stoic. II. dissert. 10. p. 95. Hoc diversum (ait) à Platoniciis nostri habent, & si audita sententia, non explorata, imponat. Nam utriq; Animam Mundo tribuunt, sed diverso paulum sensu. Plato Mundo Animam ex Deo natam vult; nostri DEum ipsam esse; illi quoq; DEum, sed secundarium quendam, nec primum & Patrem. Quamquam Cælius Rhodiginus l. XX. Antiqu. Lect. c. 10. fol. m. 770. è Platone referat, Mundi totius Animam frequenter Jovis appellatione nuncupari à Schola Platonis; ubi Thomasi noster celeberrimus rectè observavit, hanc figuram eos à Poëtis & horum interpretibus mutuatos esse, verisimile fieri. Nam apud Theologos (h. e. vetustissimos Græciæ Poëtias) Jupiter est mundi Anima, inquit Macrobius I. in Somn. Scip. 17. p. 82. Et apud Ludovicum Viv. ad August. IV. de C. D. c. X. fol. m. 24. Plutarchus inquit quemadmodum nos ab animâ administramur & regamur, ita Mundum Animam habere se continentem, qui Jupiter dicatur. Græca Phurnuti περὶ τοῦ Διὸς hæc sunt: ὡς περ ἡμῶν διὰ ψυχῆς διοικούμεθα, οὕτω καὶ ὁ κόσμος ψυχὴν ἔχει τὴν συνέχουσαν αὐτὸν, καὶ αὐτὴ καλεῖται Ζεὺς. Vid. Dissert. XIV. de Stoica Mundi Exustione §. 14. seq. laudati nostri Thomasi, qui utriusque sectæ sententias circa hanc materiam discrepantes, eruditissimè exposuit.

§. 10.

Platonici Animam Mundi substantiam à DEO creatam

tam, adeoque diversam statuebant: Stoicorum *Mundi Anima* DEUS erat, ab omni ævo materiæ immerfus: *Illis* DEUS erat (si cum Metaphysicis loqui velimus) *forma mundi assistens*: his verò, (quia Deum materiæ & mundi causam forinsecus advenientem statuebant,) *forma informans*; quia, ut anima corpori interna, ita Deum materiæ seu mundo tanquam causam internam h. e. formam fingebant. confer post *Lipsum*, *Thomasii nostri Dissert. II. §. 17. & XIV. §. 1. & 2.*

§. 11.

An ante *Pythagoram*, *Platonem* & *Stoicos* hujus sententiæ extra Græciam extiterint autores, non adeò liquet. Si *Lipsum* l. 11. *Physic. Stoic. p. 79.* credimus, *Chaldaei* hanc sententiam Stoicis præiverunt. Quod si verum, forte etiam *Plato*, quippe multa à *Chaldæis* doctus, iisdem aliquid debet. Quod tamen ego pro certo hîc affirmare nolim, cum firma ejus rei testimonia desint. Nam quod de *Hermete Trismegisto*, post *Aug. Steuchum* & *Lipsum*, ex aliis refert *D. David von der Becke* in *Experiment. & Meditat. p. 295.* quasi is Spiritus quoque cujusdam tenuis intelligibilis meminisset, qui sit Anima Mundi, sensu Platónico, non adeo certum est.

§. 12.

*Antiquos*, quos memoravimus, secuti post gentiles sunt *Recentes* inter Christianos *Philosophi* non pauci, qui nobis hîc alteram constituunt classem. In qua tamen iterum aliqua sententiarum diversitas deprehenditur. Nam aliqui eorum cum *Aristotele* & *Origine*, cœlo & astris tantum tribuunt *Animam*; aliqui cum *Platonicis* universo mundo: quidam denique confusè loquuntur, ut nescias, an toti mundo Spiritum talem, an verò saltem parti ejus adscribere velint.

§. 13.

*Bodinus*, in *Theatro universe Nat. l. 1. p. 17.* *Spirabile* & *Anima-bile cœlum* disertè vocat. Confer *Vossii de Orig. & Progr. idol. l. II. c. XL. p. m. 527. sequ. & Bangii cœlum orient. Exercit. II. p. 189. seq.* *Campagna* lib. 11. de *Sensu Rerum* cap. XXXII. & lib. IV. *Epilogo de sensu universi*, mundo universo *Animam* tribuit. *Keplerus* mundi partibus, ac imprimis terræ *Animam* inesse lib. 1. *Epitom. Astron. Copernicana* p. 125. sequ. sex potissimum argumentis probare fatagit. *Baranzanus*  
B part.

part. I. Uranoscop. quæst. 2. dubit. 4. membr. I. p. 60. Animam cœli cum  
 statuit, simul illam esse diversæ indolis ab aliis animabus docet.  
 Conradus Aslachus in *Physic. & Ethic. Mosaica* anno 1613. edita c. 12.  
 non quidem disertè Animam Mundi esse affirmat; sed tamen Her-  
 meticoꝝ de ea sententiam haud obscurè in crustat. J. A. Come-  
 nius in *Synopsi Physicæ ad lumen divinum Reformatæ* cap. II. Spiritum  
 seu Mundi Animam ex S. literis probare nititur. Joh. Marcus Mar-  
 ci à Kronland, Medicus & Philosophus non incelebris, in *Philosophia Ve-  
 teri Restituta*, sect. VII. sub nomine *Formæ universi*, quendam Animam  
 Mundi esse, agnoscere videtur. Anonymus Scriptor *Enchiridii Phy-  
 sicæ restitute Parisiis* anno 1623. in 8t. editæ apud Nicolaum Buon §.  
 5. 6. 7. naturam facit duplicem, unam increatam Spiritum scilicet  
 Dei, creatorem mundi, qui primum aquis incubuit; alteram creatam  
 seu secundam primæ ministram, Spiritum scilicet universi, sive lu-  
 minis in principio creati, & in corpus solare contracti virtutem vi-  
 vificam & secreta fecunditate dotatam; quam etiam appellat  
 Spiritum igneum, & ignem invisibilem, imitatus quodammodo  
 Stoicos, qui (ut Lipsius refert *lib. III. Physiol. Stoic. Dissert. IX*) ani-  
 mam nostram æthereum ignem esse, & simul etiam spiritum docue-  
 runt. Utrumque autem hunc Spiritum ille *Mundi Animam* voca-  
 ri dicit; illum quidem ex propria sententia, hunc ex sententia Zoro-  
 astri & Horacliti. Videtis *G. Voetium Tom. I. Dispp. select. Append. ad  
 Disput. de creat. tertia*, p. 851. sequ. Hos nuper demum secutus est Da-  
 vid von der Becke, *Medicine Doctor Clarissimus in Experim. & Me-  
 ditation. circa Naturalia rerum principia* p. 293. seqq. Argumenta  
 quæ innititur ipse, ex Scriptoribus modò recensitis, aut similibus  
 defumta infra discutientur.

## CAP. II.

### DE NATURA, SEU QUID

# ANIMA MUNDI esse fingatur.

§. 1. Connexio capitis. (2. quid anima sit Platoni & Platonis (3. Anima  
 M. Platoni non est æterna, sed producta. (4. Ad Animam M. quæ re-

ivi-

quirantur. (5. Stoicis M. Anima DEUS. (6. Quinam Animam M. per Spiritum S. explicent; (7. Philo per divinam Providentiam; (8. Nollus quomodo ejus naturam declaret. (9. In quo veteres cum novis conspiciant circa naturam Animam M.

§. 1.

**P**ostquam primo capite diversos indicavimus autores, qui mundo Animam tribuunt, ordo postulat, ut, quam ejus naturam esse fingant, tradamus.

§. 2.

Ac quod Platonem & ejus asseclas spectat, ex *Timæo* illius & commentatoribus, *Proclo*, *Marsilio Ficino*, & aliis liquet, Animam Mundi ipsi esse Spiritum creatum, per universum hoc diffusum à centro orbis terræ usque ad cœli summitatem, qui in orbem ( τὸ πᾶν ) rerum universitatem contorqueat, mundi que corpus contineat atque constringat, gubernando universa & singulas animas corporibus includendo, cum scilicet DEUS illi leges dederit, quibus hunc mundum administret. Ita mentem Platonis exponunt *Marsilius Ficinus* compend. in *Timæum* c. XXVI. fol. m. 464. *Nemesius de Nat. Hom.* cap. 2. p. m. 81. seqq. *Thodoretus Cyrenensis Episcopus de Græc. Affection. curatione* c. 2. f. 33. & cap. 3. f. 55. & *Alcinous de doctrina Platon* c. 14. p. m. 46. seqq.

§. 3.

Atque hunc Spiritum Plato à DEO fuisse productum non negavit. Describit enim in *Timæo* f. m. 1050. ejus nativitatem; quam *Proclus* lib. 1. in *Timæum* fol. 4. uberius explicare aggreditur. Quamquam si verum fateri velimus, illud satis fiat obscure. Nam qui nescit in schola Platonica primarum causarum subordinatorem, is non poterit intelligere, quid Plato & ejusdem sectatores velint, cum Deo in productione rerum adjungant Mentem, Animam Mundi, Materiam & quandoque Naturam. Nempe DEUS ipsis est τὸ αὐτὸ: Mens à Deo, tanquam soboles; adeoque σὺν τῷ Προκλή τὸ αὐτὸ: Anima autem à Me. te & Materia; itaque τὸ αὐτὸ ἕξ ἀδελφῶν, à quâ natura dein quasi genita fingitur. conf. *Stephanum Theopolim Patritium Venetum* l. VII. *Academ. Contemplat.* c. 2. p. 236 & *Thomasium nostrum Dissert. XLV. c. 5. §. 49. seqq.*

§. 4.

*Alcinous de Doctr. Platon.* c. 14. p. m. 46. Animam Mundi cum semper vult extitisse, à DEO illam factam esse negat. Quod &

Plotinus ac Numenius, explicantes mentem Platonis, apud Theodoretum de curat. Græc. Affect. Serm. 2. de Principio fol. 33. afferunt: τρία φα-  
σιν αὐτὸν εἶρηκεναι ὑπέρχουσα καὶ αἰδία, τὰγαθὸν καὶ τὸν, καὶ τὸ  
παντὸς τὴν ψυχὴν. Ὁν ἡμεῖς πατέρα καλεῖμεν, τὰγαθὸν  
ὀνομάζοντα. τὸν δὲ ὅν ἡμεῖς υἱὸν καὶ λόγον προσαγορεύομεν. τὴν δὲ  
τὰ πάντα ψύχουσαν καὶ ζωοποιῶσαν δύναμιν ψυχὴν καλεῖντα,  
ἢ πνεῦμα ἅγιον οἱ θεοὶ προσαγορεύουσι λόγοι. hoc est, interprete  
Sylburgiō: Tria inquit, à Platone posita fuisse, quæ sint supertempora-  
lia & aeterna; ipsum videlicet bonum, mentemque & hujus universi ani-  
mæ. Vocat enim Bonum, quem nos dicimus Patrem, mentem verò seu  
Intellectum, quem nos Filium, Verbumque appellamus: Potentiam verò,  
quæ animet omnia & vivificet, Animam vocat, eam ipsam videlicet,  
quem Spiritum S. sacra litera appellant.

§. 5.

Ficinus functionem & officium hujus Animæ considerans  
cap. 26. compend. quatuor ad Mundi Spiritum pertinere differit:  
Primum quidem Intellectum in se manentem immobilem, Sphæræ mo-  
toræ sive rectoræ, ita regendis sphæris ab autore rerum omnium insti-  
tutum: Secundum, sphæræ Animæ, motoræ mobilis quidem, sed mobilem  
per seipsum: Tertium, Intelligentiam quandam huic Animæ à Deo &  
Intellectu superiore divinitus insitam: Quartum, Naturam, i. e. semina-  
riam vitalemque virtutem, ab anima passim infusam materiæ. Quæ ulte-  
rius de animæ hujus compositione & comparatione cum harmo-  
nia musica Plato & Platonici comminiscuntur, obscuræ ac inanes  
speculationes sunt, nullum planè fundamentum aut usum haben-  
tes. Quare illis recensendis, heic etiam supersedere placet.

§. 6.

Heracletus apud Theodoretum l. c. serm. V. de Nat. Hom. fol. 73.  
Anima Mundi tribuit, quod animas hominum è corpore migran-  
tes recipiat, cum sit ejusdem generis & substantiæ. Fortè ex illo-  
rum errore, qui, cum mundum pro magno animali venditarint, A-  
nimæ ejusdem viventium omnium animas acceptas retulerunt, ceu  
fonti animarum. A quo errore post Trimegistum apud Lipsium l.  
II. Phys. Stoic. dissert. XI. p. 95. non alienus fuit Pythagoras, cum apud  
Cicer. de N. D. l. 1. censuerit, animum esse per naturam rerum omnium  
intentam & commeantem, ex quo hominum animi carperentur: adeoque  
mirum



mirum non fuerit, illas sic ad fontem redire. v. *Aug. Steuchi de Perenni Philosoph.* p. 109. 120. 121. 126. & *Thomasii nostri Programma Pentecost.* anni 1663. Posit. quis suspicari, *Comenium in Physic. Reform. c. XII. p. 211. sequ.* non dissimili errore imbutum fuisse, cum Angelos ex Spiritu Mundi formatos satis temerè statuit.

§. 7.

*Stoici* verò duo tantum rerum principia agnoscentes Deum & Materiam, vel ut *Seneca Epist. 65.* loquitur, causam & materiam, Mundi Animam ipsum DEUM faciunt, eoqve nomine mundum etiam appellant. *Didymus* apud *Eusebium lib. XV. de Preparat. Evang.* Οἱ Στωϊκοὶ δὲ ὅλον τὸν κόσμον, σὺν τοῖς μέρεσιν αὐτῶν προαγορεύουσι θεόν, *Stoici* totum mundum cum partibus ejus appellant Deum. Sed parum sanè id fieri, rectè *Lipsius* advertit, cum *lib. 1. Phys. Stoic. Dissert. 7.* hoc dogma discutere instituit. Addiderim ego, non solum ὁδὸν ὕμῆς in hac sententia reperiri, sed præterea *Stoicos*, & alios admodum indignè de DEO sentire, quod ipsum creatorem & causam mundi ejus partem faciunt. Errorem hunc satis crassum præ cæteris eruditè discussisse, *Thomasium* supra laudatum *Dissert. II. & XIV. de Stoica Exustione Mundi*, jam ante memoravimus.

§. 8.

Qui porrò cum nonnullis antiquis scriptoribus, Philosophiam Platoniam cum religione Christiana conciliare student, per Animam Mundi ajunt, Platonem intelligere Spiritum S. quem Christiani appellant. Ita *Chalcidius* super *Timæum*, & *Cyrillus Alexandrinus l. 2. contra Julianum in fine*, *Aug. Steuch. de P. Ph. l. II. c. 3. p. 105. sequ.* & alii. Quos parum consideratè secuti sunt novi inter Christianos Philosophi, ad probationem Anima Mundi trahentes locum illum de Spiritu S. insignem, *Genes. 1. 2.* quasi ille Spiritus Domini, qui aqua incubasse dicitur, foret illa ipsa Mundi anima à Platone & aliis descripta. Reprehendit hanc audaciam in *Aug. Steucha* & aliis doctissimus noster *Thomasius*, *Programmat. Pentecostali modo laudato.* nos in *J. A. Comenio* & *D. Dav. von der Bercke* notabimus infra noxi-um in Theologia errorem.

§. 9.

Hæc interim sufficiat indicasse, *Comenium in Synopsi Physic. ad lumen divin. Reformata cap. 2. p. 18.* ejus hanc dare definitionem: quod

B 3

fit

fit vis quaedam Dei diffusa per totum mundum, omnia sustentans, & vivificans, omniaq; in omnibus operans D. von der Becke Spiritus hic universi, dicitur fuisse initio creationis Chaos mistus, qui res universas progenuisset ex aqua, juxta seminum signaturas & ideas corpora vegetabilia, animalia, mineralia; absoluto vero creationis opere, ipsum facit omnium corporum motorem, qui à Deo in solis globo sit positus, ex quo virtus ejus vivifica per aerem accedente vento, ceu vehiculo, dimanaret in corpora infra lunam posita, ut illa generarentur, viverent, crescerentqve. Hanc sententiam ipse verbosa oratione in *Experiment. & Meditat. cit. p. 295. seq.* persequitur.

§. 10.

*Philo Judæus sapiens, cum lib. ΑΦ Δαρίας νόμου fol. 736.* Stoicos, mundi exustionem & instaurationem inducentes, refutare aggressus esset, *Mundi Animam* per providentiam DEI exponit. Quo ipso rectius sentit, ac illa Philosophorum turba, quæ vel *Spiritum Mundi* commenta est primum, vel hodie illum esse ex S. literis convincere audet.

§. 11.

*Heinricus Nollius lib. 1. Phys. Hermetic. cap. 3.* Spiritum universi idem esse cum igne fingit, quia in Chaos aquam primævam non tantum, sed & omnia corpora ex illo producta vivificasset. ita enim describit, *quod sit Spiritus per universam primævam aquam subtiliter diffusus, ut eam ad suscipiendum varias variarum specierum formas disponat.* Quod asserens, simul tradit, eum extra aquas non subsistere, & corporibus elementaribus inesse per aquæ primævæ communicationem, omniumque rerum ideas in se habere, & pro virtute imaginationis suæ, per divinum verbum impressæ, secundum eas ideas seminum rationes varias in se recipere; quæ omnia ex scitis Philosophiæ Platoniciæ paullulum interpolata transumpta sunt. *conf. G. Voetium loc. cit. p. 853.* Mox idem *Nollius in Append. ad Physicam Hermeticam p. 737. 738.* paulo clarius de Spiritu sæpe nominati loquitur natura: *Quid est Spiritus universi? Respondet: Spiritus universi est essentia subtilissima per omnes creaturas hoc mundo comprehensas, diffusa, summa agendi potestate prædita, penetratione sua omnibus robur & vires concilians, atque ita disposita, ut corpora,*

pora, quibus inest, conseruet, vegetet, animet, atq; ab omni imperfectione liberet, si modo perfectionis fuerint capacia. Porro agnoscit Spiritum hunc à Deo creatum esse sub initium mundi, atq; ut ipse loquitur, corporea mundi substantia incorporatum, in a tamen, ut in constantiori corpore majori cum virtute & copia inventatur. Tale autem corpus ipsum cœlum est, quod astra & luminaria sua, summam universi Spiritus copiam possidentia, in hæc inferiora corpora, vim & essentiam universi dimittat, ut hæc in vigore persistant, ad vitam disponantur, anima impregnentur, atq; ab omni imperfectione certis mutationum gradibus provehantur. Tandem p. 739. sequ. aquam medium nominat, cujus interventu non tantum mineralia metalla, sed etiam vegetabilia, animalia de Spiritu ex Sole & luna cæterisque stellis defluente, participant. Quod autoritate Mosis comprobatur, qui Spiritum Domini latum fuisse super aquas, ingeruè fateatur. Ac ne quis putet, hoc modo Spiritum Mundi & lapidem philosophicum esse idem, negat etiam illum esse hunc per se, quatenus jam actu omnia sustentet & conseruet, sed quatenus jam ex universali medio in medicinam eminentissimam Philosophica digestionem decoctus sit, dici & esse lapidem philosophorum.

§. II.

J. A. Comenius in Phys. Reform. c. 2. p. 29. sequ. cum naturam Spiritus Mundi explicare tentat, ita differit: Spiritus Mundi est ipsa vita mundo infusa, ad operandum omnia in omnibus. Quicquid enim ulla creatura agit, aut patitur hujus Spiritus vi agit & patitur. Ei enim datum est (1.) inhabitare Materiam: (2.) movere se & agitare per omnem materiam ad conservandam eam: (3.) custodire ideas (seu formas) rerum particulares: (4.) firmare sibi corpora pro usu futurarum operationum. His assertionibus mox subjungit commentarium, quo illas dilucidat uberius.

§. 12.

Nos arbitramur, in hoc veteres cum recentibus philosophis maximam partem conspirare circa naturam hujus Animæ: Primò quod ipsa sit forma substantialis & indivisibilis existens in toto & in qualibet parte hujus universi, quodq; ex illa simul & materia, velut magnum quoddam animal componatur. Inde Plato in Timæo τὸν κόσμον, non solum ζῶον vocat, sed ζῶον ἐμψυχον εἰσὶν ἅτε ζῶον ἐν ζῶον

ζῶον ἔχον ἀπὸ τῆς αὐτῆς οὐσίας ἀθανάτου, ἢ μάστιγα ζῶον τι-  
 λειον. confer. *Histor. Philosoph. Abrah. Gravii* l. ii. c. 18. *Nollium*, & alios  
 supra notatos: *Secundo*, quod sit principium, à quo actiones & ope-  
 rationes corporum hujus universi procedant; sive sint propriae sive  
 illae sint communes: Formas enim rerum huic subordinant omnes  
 tanquam causae universali, particulares. Quare ajunt, hanc *Animam*  
 corpora praecise informare, ut lapides; in plantis vegetare, in bru-  
 tis sentire. v. *Hieronym. Hirnhaim. de Typo generis humani Tract.*  
*Brev. c. XI. p. 130.* Hic itaque *Spiritus* (verba sunt *D. Beckii Experiment.*  
*cit. p. 329.*) *revera omnium perfectionum corporum naturalium principi-*  
*um est ac autor in triplici Natura regno. Hujus beneficio vivimus, nu-*  
*tritur, & simile nobis gignimus: Tertiò* quod sit anima ubique indiffe-  
 rens, quae habeat potentiam saltem remotam, ad eliciendas quas-  
 cunque operationes, v. g. leonis aut vermis, ignis aut ligni. Inde  
*D. Beckius* illam dicit spiritum *informem & omniformem*: Partim  
 quia actu nullam habeat formam; partim quod indifferens sit, &  
 aptus ad omnis generis formas, caeteroquin quiescentes & steriles  
 movendas & foecundandas. v. *Experim. p. 301.*

§. 13.

Atque haec ferè sunt commenta, quae de *Mundi Anima* adfe-  
 runt *scriptores*, quorum mentio à nobis jam facta est non semel. Ex  
 quibus apparet, recentes quidem fingendi licentiam ab antiquis  
 mutuatos esse, sed cum illis, non quoad omnia conspirare. fortè ut  
 errorem cum doctrina Christiana quodammodo conciliarent. Est  
 enim haec indoles erroris, ut latius propagatus quasi vires sumat, &  
 progignat alios.

### CAP. III.

De

## ἐπιμύσεις HUIUS SENTENTIAE.

Brev.

- §. 1. Sententia nostra de anima M. 2. Causae adducuntur, cur veteres talem fin-  
 xerint. 3. Improbatur haec sententia, quia doctrinae Christianae repugnat,  
 quod probatur. 4. Refellitur rationibus ex philosophia petitis, quarum  
 addu-

adducitur prima: 5. profertur secunda, 6. adjungitur tertia. 7. allegantur  
autores, qui plura habent argumenta.

§. 1.

**U**T tandem nostrum de *Anima Mundi*, judicium addatur, ar-  
bitramur, illam esse inane commentum à *Pythagorâ*, *Plato-*  
*ne* & *Stoicis* primùm ex cogitatum, & dein ab horum aſſeclis  
præſertim hoc ſeculo, variè interpolatum.

§. 2.

Anſam verò ſeu cauſſam fingendi talem *Spiritum* videntur  
ſumſiſſe gentiles, vel ex ipſa creationis hiſtoria, quæ, (ſiquidem  
pars ejus gentilibus ex hiſtoria Moſis fuit cognita, quod negare au-  
det *Paulus Benius Eugubinus* l. X. in *Tim. Pl.* p. 679 691.) *Spiritus aquis in-*  
*cubantis* mentionem facit: vel ex ignoratione operis creationis, vir-  
tute divina ac infinita ſola cœpti ac abſoluti: vel ex contempla-  
tione mirandæ conſervationis rerum à Deo ordine conditarum; quæ  
niſi virtute quadam divina ſuſtentarentur, moverentur ac rege-  
rentur, dudum interiſſent. Id quod in ſemetiſſis, & aliis anima-  
libus καὶ ἀναλογία deprehenderunt; quippe quæ omnia benefi-  
cio animæ vivunt, nutriuntur, creſcunt &c.

§. 3.

Atque hæc gentilibus luce verbi divini deſtitutis in mentem  
veniſſe, non adeò mirum videri debet, ſi alias ipſorum fabulas ſtul-  
tasque de mundi origine & Diis, opiniones quis expendere velit.  
At, qui Chriſtianorum nomen profitentur, non melius ex S. literis  
ſapere de *Spiritu Mundi* didiciſſe, argumento eſt, tales adhuc *Spiri-*  
*tu mundi* quem *Apoſtolus* vocat 1. *Cor.* II. 12. regi magis, quàm San-  
cto. Chriſtianos in veritatem fidei ducente. præſertim cum tales  
non pudeat, locis de Spiritu S. Tertia S. Trinitatis Perſona loquenti-  
bus abuti ad palliandum errorem, qui non uni doctrinæ Chriſtianæ  
capiti derogare videtur.

§. 4.

Fac enim, oracula divina de Spiritu DEI, exponenda eſſe de  
*Anima Mundi*; unde contra myſterii de S. S. Trinitate in una divina  
eſſentia, hoſtes, argumenta petes, quæ æqualis eſſentia ac potentia  
cum DEO Patre & Filio ipſum eſſe, mundum creaffe primum, ar-  
guant? Si *Anima Mundi* res ex chao produxit primum, eaſque  
C formis

formis exornavit suis, creatio non amplius, ceu opus infinitum soli  
divinae & infinitae potentiae vindicandum fuerit: quod tamen De-  
us apud *Jobum* cap. XXXVIII. XXXIX. XL. testatur ipsemet. Si *A-*  
*nima Mundi* continet orbis caelestes, movetque illos, ac praestat om-  
nibus corporibus infra lunam positis vitam, ac virtutem operan-  
di, non amplius in Scholis Christianorum DEI providentia depra-  
dicanda adeo fuerit, quod in ipso simus, vivamus ac moveamur.  
*Aet.* XVII. v. 24. 25. 26. 27. 28. aut quod Christus omnia τῷ ῥήματι  
τῆς δυνάμεως αὐτῆς, verbo virtutis suae portet *Ebr.* 1. 3. Apostoli de-  
monstratio Dei ex operibus *Rom.* 1. 20. vallicabit. Nec quicquam  
proficient Theologi, atheos convicturi argumentis à conservatio-  
ne hujus universi petitis. Reherent enim illi, id esse ab *Anima*  
*Mundi*. Et sic Deus nihil amplius faciet virtute sua omnipoten-  
ti, quam ipsemet tamen apud *Jobum* c. XXXVIII. ad ostendendam  
Majestatem suam mortalibus, allegat, quamque *Hieropsaltes* *Psal.*  
XIX. decantat. Sed ἐκὰς ἐσε βέβηλοι. non convenit luci cum  
tenebris: frustra componitur Sanctus DEI Spiritus cum *Mundi*  
*Anima*: veritas cum fabula.

§. 5.

Quapropter, si olim error *Origenis* ex *Platone* haustus, de *Ani-*  
*ma Coeli*, in Synodo Constantinopolitana quinta, à Justiniano Im-  
peratore, anno 538. coacta, anathemate fuit notatus, teste *Nice-*  
*phoro* H. E. I. XVII. c. 72. & *Baronio* ad A. C. 535. n. 6. 7. quanto magis  
sententia de *Mundi Anima* Ecclesiae censuram meribitur; quippe  
quae illa peior est. confer *Lactant.* 1. II. *Divin. instit. de Orig. Error.* c. 5.  
cum *notis Gallei*, Stoicos praecipue & Platonicos redarguentem. *Joh.*  
*Damasceus* de *F. Orb.* 1. II. c. 6. f. m. 83. Μηδεις δὲ ἐμψυχωμένους τὰς  
σφαιρας, ἢ τὰς Φωσῆτας ὑπολαμβάνετω. ἀψυχοὶ γὰρ εἰσὶ καὶ ἀ-  
ναίδητοι, hoc est, interprete *Fabro Stapulensi*: nullus etiam coelos aut  
luminaria arbitretur animata, inanima enim sunt & insensibilia. v. a-  
liorum Theologorum sententiam apud *G. Voetium* l. c.

§. 6.

Porro ex philosophia sana quoque suppetunt rationes quae *Spi-*  
*ritus* ille *Mundi* profligari potest. Ecquid enim? Si dicta *Mundi Anima*  
fit efficiens generationis causa, erit necessario extra generata. At  
*Mundus* ex *Pneumosismicorum* (quos vocant) mente est generatus  
aut

aut factus: igitur suum subiectum generavit anima, & illud ingre-  
ssa formæ naturam induit, quod in Philosophiâ saniori nobis absur-  
dum videtur.

§. 7.

Deinde *Anima Mundi* aut est expers materiæ, aut illam ha-  
bet: si illud cum *Stoicis* & quibusdam *Platonicis* assumis, erit *intelli-*  
*gens*, simulque singula universi hujus corpora informabit, ac illa æq̃  
ut homo & Angelus, ratione gaudebit; ex quo in Philosophia Chri-  
stiana nova subnascentur dubia. Nempe, quando hic *Spiritus* crea-  
tus; an ad imaginem Dei; an in extremo die abolendus, an Ange-  
lorum chorò sociandus? & similes, quæ non poterunt solvi ab au-  
toribus dictæ fabulæ, quamdiu receptissima philosophorum senten-  
tia locum habet, quâ tantum Angelis & hominibus tribuitur ratio  
& intellectus. Si verò dicas esse *Materialem*, sequitur, illam fore  
aut *sensitivam* aut *vegetativam*: Sed utrumque falsum est. Nam non  
in omnibus corporibus apparent operationes animæ vitales, ut  
sunt nutritio, auctio, generatio & similes. Quis enim in lapide, igne  
aëre & aliis corporibus deprehendit talia quippe quæ etiam organis  
ad animæ functiones necessariis destituuntur. Præterea Scriptura Sa-  
cra testis est, non omnia corpora vivere, cum viventium à non viven-  
tibus discrimen adducit Genes. l. 20. 21 seqv. & c. VII. 15. 22. Si au-  
tem omnibus inesset *Anima illa Communis*, omnia oporteret & vive-  
re & mori. Quod ἀτοπον.

§. 8.

Tandem mundus non est corpus per se unum; ac adeò conti-  
nuum: sed est compages multorum corporum, quæ ab *Anima Com-*  
*muni* non possunt informari. Præsertim cum quodlibet in eo cor-  
pus propria gaudeat forma, aut animâ, quæ propter naturæ diversi-  
tatem, neque pars esse illius *Animæ Communis*, neque salvo corpore  
abesse potest. Quod tamen illâ Animâ admittâ consequeretur.

§. 9.

Possent alia etiam argumenta contra hanc sententiam adfer-  
ri, nisi illa longo ordine ab aliis forent congesta, quæ transcribere  
nolumus. v. *Jul. Caesar. Scaliger. Exercit. VI. n. 1. 2.* ubi adverten-  
dum, ipsum quidem *num. 2. p. m. 23.* arbitrari, non esse hominis sa-  
pientis existimare: *Anima carere Mundum.* Sed intellectum hoc

cupit vir circumspēctissimus, de partibus mundi, non de toto, cui  
*Animam num. 1. anteced. inesse negat: Wendelin, l. II. Contemplat.*  
*Physic. Sect. II, c. 6. & Sect. 3. c. 2. Gisb. Voët, Dissp. Select. tom. 1. Ap-*  
*pend. tert. à pag. 851, ad 868. & Hieronym. Hirnhaim, Abbatem Pra-*  
*gensem ac per Bohemiam, Austriam, & Silesiam visitatorem ac vicari-*  
*um generalem, de Typho Generis Humani, sive scientiarum humanarum*  
*inani ac ventoso tumore, cap. XI, XII.*

## CAPUT IV.

DE

# RESOLUTIONE

Argumentorum τῶν ἐξ ἐναντίας.

Brev.!

§. 1. Argumenta, quæ opponuntur sunt duum generum. 2. arg. ab autoritate di-  
vina primum solvitur: 3. deinde secundum. 4. Tertium. 5. quartum. 6. arg.  
ab autoritate humanâ petita dilucidatur. 7. alterum genus argumentorum  
proponitur & discutitur primum, 8. secundum. 9. tertium. 10. allegantur  
alia, sed minoris momenti. 11. Dissertationi imponitur coronis.

§. 1.

**A**rgumenta, quæ vulgò pro *Anima Mundi existentia* leguntur  
adducta duplicis videntur esse generis. Quædam enim pe-  
tita sunt ab *autoritate*, quædam à *ratione*: illa iterum vel  
est *divina* vel *humana*. Ad divinam pertinent, quæ ex *Ge-*  
*nes. 1. 2. Job. XXVII. 3. XXXIII. 4. Psal. XIX. 1. 4. CIV. 29, 30. CXLVII,*  
*Esa. XL. 7. Ezech. XXXVII. 5, 14. desumuntur.*

§. 2.

Sed quod *primum* & præcipuum attinet, de *Spiritu Dei aquis*  
*incubante, Genes. 1. 2.* non semel à Theologis in expositione istius lo-  
ci demonstratum est, intelligendum esse *Spiritum S.* tertium Divi-  
nitatis ὁ Φις δὲ νεον, quia voce ἐμφανισάτην *מַצְחָה* cum cir-  
cumstantiis historię creationis collatâ, innuitur opus infinitum,  
quod *Anima Mundi* creatæ tribuere velle, nimis foret temerarium.  
*v. D. Affelmanni Disput. de Spiritu S. persona quest. 1. D. Calov.*  
*Bibl. P. I, illustrat. f. 222. & D. Seb. Schmidii Colleg. Bibl. Loc. III. p.*

118.



118. seqq. Quae D. von der Beck. cit. p. 300. seqq. oggerit ex laudato-  
rum Theologorum sententiis dilui facile possunt.

§. 3.

Secundo, Verba Jobi: *quamdiu anima mea in me erit, & Spiritus DEI in naso meo, c. XXVII. 3. Et Spiritus Dei fortis fecit me; & afflatus omnipotentis vitam indidit mihi, c. XXXIII. 4* accipienda esse de Spiritu Dei infinito, cui hominum conservatio & creatio competit, clarum est. Nam si quis opera omnipotentiae divinae Mundi Animae adscribere velit, necessum foret, illam pro DEO habere cum gentili-um schola valde superstitiosa.

§. 4.

Tertio, Si Hieropsaltes cum *Psal. XIX.* orditur: *Caeli enarrant gloriam DEI*, proprie locutus esset, caeloque animam linguam, aut (cum *Jacobo Gassarello libr. Curiosit. inaudit, c. XII.*) scripturam assignasset, multa inde absurda elicerentur, quae à Theologis passim notantur, docentibus, innui à *Vate Regio*, caelos anam & materiam laudibus divinis decantandis praebere mortalibus. confer. *Bangi Caelum Orientis p. 190. & Laëtant. l. II. Instit. c. 5.* Porro verba *Psalmi CIV. 30. Emittes Spiritum Tuum, & creabuntur; quae Mutius Pansa de oscul. ethn. & Christian. Theolog. p. 375. & Aug. Steuchus de Perenni Philos. p. 105. de Anima Mundi* exponunt, perperam illuc trahi ex *D. Calovii Bibl. illustrat. fol. 1083. B. Gerhardi Exeges. tom. LL. CC. p. 1063. & Dn. Geieri comment. in b. l. p. 527.* disci potest. Nam docent illi, phrasi hac *Spiritum S.* qui oris Domini Spiritus *Psal. XXXIII. 6.* audit, indicari. Ita, velle ex *Psal. CXLVII. 18.* (ubi Deus dicitur *efflare ventum suum, ut effluant aquae,*) probare *Spiritum Mundi*, fundamento caret, cum facilius de vento ipso, meteoro exponi queant, verba quam de ficta *Anima.*

§. 5.

Quarto, tandem locus *Jes. XL. 7. Spiritus Domini sufflavit: & Ezech. XXXVII. 5. intromitteam in vos Spiritum,* non probant *ἐνψύωσιν*. Nam nihil vetat in priori loco cum Theologis *Spiritum S.* intelligere; in altero verò per *Spiritum* intelligere animam, quae hoc nomine saepius in *S.* literis appellatur. Deinde verba *Commar. 14. & intdam Spiritum meum vobis, ut reviviscatis,* notare *Spiritum Domini* vivificantem, cum de opere divino sermo sit, Theologi do-

C 3

cent

cent constanter id de Tertia SS. Trinitatis Persona interpretantes. Ideoq̄ve non est, ut in gratiam Platoniorum & Hermeticorum philosophorum, ab illa interpretatione deflectamus, quò nœniæ gentilium confirmari queant.

§. 6.

Post divinam auctoritatem ad humanam provocant novi *Anima Mundi* defensores; puta antiquorum Philosophorum, Rabinorum, Poëtarum, qui sub fabula de *Cupidine* apud *D. Beckium* p. 297. seqq. hunc mundi Spiritum indigitassent. Quod & *Maronis* versibus confirmare volunt, *l. VI. Æneid. v. 719. seqq.*

*Principio cœlum ac terras camposq̄ liquentes,*

*Lucentemq̄ globum Luna, Titaniaq̄, astra*

*Spiritus intus alit; totamq̄ infusa per artus*

*Mens agitat molem, & magno se corpore miscet:*

*Inde hominum pecudumq̄ genus, vitæq̄, volantum,*

*Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.*

Sed quanta sit auctoritas humana in probandis doctrinis philosophicis, non est, cur inculcemus operosè, cum notum sit illud vulgatum, quod in proverbii vicem receptum est, *in philosophiarationibus agendum esse non auctoritatibus.* Aliàs harmonia orbium cœlestium, Pythagorica, & Intelligentiæ orbibus cœlestibus adfixæ, & ignis sub concavo lunæ & multi alii errores, ex fingendi libidine aut superstitione nati, propugnandi forent: quos tamen doctius seculum hodiè deridere solet. Amicus Plato & alii, magis verò amica veritas.

§. 7.

Visâ auctoritate, pergimus ad alterum genus argumentorum quod à sensu & ratione petitum est. Ubi primò assertores nominati colligunt ex mundi partium consensu, ordine, duratione, & motu præsentiam *Animæ*, à quâ illa procederent omnia. Verùm Christianis in promptu est, quod respondeant; scilicet id esse à providâ DEI curâ, quam ex *Job. XXXVIII. seqq. Psal. CIV. & Act. XVII. supra allegavimus.* Hâc vires agendi in rerum principio omnibus corporibus concessæ conservantur & diriguntur. *Ex hoc DEum credimus, quod cum sentire possumus, videre non possumus; in operibus enim ejus, & in mundi omnibus motibus virtutem ejus semper præsentem adspici-*

*mus: cum tonat, fulgurat, fulminat, cum serenat: verba sunt M. Minu-  
rii Felicis in Octav. p. m. 74. edit. Wower. Boethius l. IV. de Consol. Phi-  
losof. clarius hanc DEI providentiam decantat:*

*Tu numeris elementa ligas, ut frigida flammis,*

*Arida convenient liquidis, ne purior ether*

*Evolet, & mersas deducant pondera terras.*

*Confer omninò Philonis libr. de Mundi opificio.*

§. 8.

*Secundo. opponunt sensum & operationes in mundi partibus  
conspicuas, quæ videntur Animam universi arguere. Sed & hanc  
vacillare consequentiam, deprehendet, quisquis noverit, ex ani-  
mâ partium, quæ toto aliquo contiguo connectuntur, non posse col-  
ligi, unam in toto illo esse animam.*

§. 9.

*Urgent tertio cum Comenio, herbas & animalia etiam sine se-  
mine è materia humida nasci, quod fieri non posset, nisi hisce diffu-  
sa illa Mundi Anima vitam impertiretur. Verùm corpora sine se-  
mine nasci, nondum liquidò probatum est: quin potius multi a-  
junt Spiritum Mundi excitare semina. Ergò absque seminibus  
non indet vitam. Caterùm quæ Animæ Mundi tribuunt Autores  
in excitandis seminibus, vel etiam animalibus hyberno tempore,  
torpore quasi sepultis (ut in hirundinibus & insectis deprehendi-  
tur,) vere autem redeunte, ac iterum germinantibus & revivi-  
scentibus illis, omnia à Sole & virtute ejus præitari sensus docet.  
Confer ipsum D. von der Beck l. c. p. 310. seqv. Proinde non opus erit  
post DEum aliam causam comminisci secundam.*

§. 10.

*Addunt cum Stephano Theopolo contempl. Academ. l. V c. 1. alia  
argumenta, quæ tamen exigui sunt ponderis. v. gr. quod mundus  
fit præstantissimum corpus: Ergò, colligunt, animâ erit præditum.  
Sed notum est, mundum non tam esse corpus, quàm corporum  
compagem. Deinde præstantia rei, ex variis partibus compositæ,  
non semper ex forma interna totius compositi, sed ex partium ag-  
gregatarum ordine & elegantia æstimari novimus. Quæ ejusdem  
indolis sunt argumenta, à Sympathiis & Antipathiis, Magneti-  
smo & appellatione hominis & *μικροκομια* petita nolumus adduce-  
re. v.*

re. v. *Wende'ini contempl. Physic. cit. p. 86. seqq. Hirnhaimi Tract. allegat. c. XII. & Scaligerum Exercit. VI. n. 1, & 2. De aliis dicere nihil attinet.*

§. II.

Sed Dissertationem finituri illud solùm monemus, nos, cùm breves esse voluerimus, omnium, quorum adduximus sententias, non potuisse secundùm diversas hypotheses discutere, & quæ inde sequerentur absurda, monstrare prolixius. Librum illa opera posceret, non disputationem, qualem ego conscribere institui. Ac ideò veniam, quam petii à *Lectore Benevolo*, mihi polliceor certissimè.

**SOLI DEO GLORIA!**

---

ADDITAM.

1.

**H**omines in Lucomoria regione Russiæ habitantes, quotannis 27. die Novembris more hirundinum & ranarum, præ frigoris brumalis vehementia, motu & sensu privari, & postea redeunte vere, vigesimâ quartâ Aprilis, denuo velut reviviscere, (ut refert Hier. *Hirnhaim c. 12. Tract. supra alleg. p. 148.*) nobis fabula videtur.

2.

Elegans Camerarii epigramma est:

*Si vitam spectes hominum, si deniq; mores,  
Artem, vim, fraudem, cuncta putes agere,  
Si propius spectes, fortuna est arbitra rerum:  
Nescis quam dicas, & tamen esse vides.  
At penitus si introspicias, atq; ultima primis  
Connectas, tantum est rector in orbe Deus.*

3.

Gynæcocratia neque in domo neque in civitate probanda est.

4.

Ex læto armorum successu, justitiam belli metiri, imprudentis est.

5.

Rectè Livius: *Res adversa religionem admonent:*  
Et Tacitus; *Mutationem rerum in deterius portendi crebris prodigiis cognoscitur.*

6.

Qui historiam creationis ignorant, non possunt non in Physica doctrina impingere.

**F I N I S.**





01 A 6731

(A)

ULB Halle


3

004 122 828









13

Q. D. B. V.

*De*

# MUNDI ANIMA,

DISSERTATIO PHILOSOPHICA,

*quam,*

MODERATORE

L. ADAMO RECHENBERG,

Græc. Liter. Prof. Ordin. Maj. Principp.

Collegii Collegiato & h. t. Præposito,

in

ACADEMIA LIPSIENSI

H. L. Q. C.

D.VII. Decembr. M. DC. LXXVIII.

P. P.

JOH. DAVID GÜTTNER / Phil. Bacc.

& Medicinæ Cultor,

A. & R.

---

LIPSIÆ,

LITERIS CHRISTIANI SCHOLVINI

